



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XVIII. Diploma Sigeberti Regis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

*Diploma Sigeberti Regis.*

**I**N Dei nomine Sigibertus Rex Francorum vir illustris. Singulariter, & per cuncta feliciter ad mercedis nostræ credimus augmentum petinere, si larga munera summo Deo omnipotenti deuota mente offerre non dubitamus. quia tunc regia potestas suum cultum corroborare videtur, quando, ex propria voluntate compendia seruorum Dei destinare non dubitat. Ideoque sub deuotione animæ nostræ cum consilio magnificorum Episcoporum & aliorum illustrium virorum ex nostræ largitatis munere, monasterium regulare iuxta Patrum conditionem construximus, & ibidem, Christo auspice, Remaculum Abbatem constituimus, vt ibidem secundum ordinem, & monumenta sanctorum Patrum conuersari debeat. Igitur de fisco nostro ad vsus seruorum Dei cum emunitate partem aliquam donamus, vt habeant, possideant, suisque posteris spiritualibus derelinquant, vt potius eos delectet attentius preces pio Domino incessabiliter pro nobis fundere. Et vt hæc præceptio firma & inuiolata permaneat, manus nostræ subscriptionibus subter eam decreuimus roborari.

*Diploma Sigeberti Regis.*

**I**N nomine Domini Dei & Saluatoris nostri IESU Christi Sigibertus Rex Francorum vir illustris. Singulariter regni nostri compendia proluxa felicitate, Deo adiuuante, confitemur augmentare, quidquid sacrosanctæ Ecclesiæ propriæ deliberationis arbitrio serenitas nostra contulerit: quia tunc legalis potestas sui culminis fundamenta corroborat, quando larga humanitate condigna munera in honorem Dei conferre non dubitat.

Igi-

Igitur sanctum, ac venerabile Monasterium *Stabulaus* nominatum, cui vir venerabilis Remaclus Episcopus, & Abbas praesesse, Christo auspice videtur, diuina inspiratione communiti decreuimus aliquantulum de fisco nostro consolari. Teloneum igitur, quod ad portum super fluium Ligeris pertinere videtur, pro stabilitate regni nostri ad monasterium superius scriptum nostri muneris largitate concedimus.

Quapropter praesenti ex hoc insimus promulgari praecipione, vt praefato monasterio, nullus ex hoc penitus praesumat existere contrarius: sed quodcunque exinde fiscus noster poterat sperare, in luminaribus iam praedictae Basilicae, vel stipendiis ipsorum monachorum, qui ibidem cursum regulariter quotidianis horis conantur implere, omni tempore proficiat in augmentis. Hanc quoque auctoritatem in omnibus valituram, vt in nostris & futuris temporibus intacta, vel intermerata valeat perenniter permanere, manus nostrae subscriptionibus subter decreuimus roborari.

## XIX.

*Diploma Othonis Imp.*

**I**N nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis, Otto diuina fauente clementia Imperator Augustus.

Si aliquid de nostrae magnitudinis regia, vel Imperiali munificentia DEI Ecclesiis emolumentum pro stabilitate illarum conferimus, proculdubio id in mercede proprium habemus. Quapropter omnium fidelium nostrorum animaduertat industria, tam praesentium, quam futurorum, qualiter nobis interuentu & admonitione Othonis Carentorum Ducis, quoddam nostrae proprietatis spaciū, capiens ex omni parte in longitudine, siue in latitudine iugera tria in monte Carentino, cum dimidia parte ligni montis illius in latere positi, cum X. iugeribus praetorum iuxta flumē Glana iacentium ad Ecclesiam S. Lamberti Martyris, qualicumque supradieti montis parte, excepta nostra regali sede;

Xx 3 inibi